





213.





265

# Disputatio V.

DE MODO AD QVIRENDI  
DOMINIVM PER ACCESSIO-  
*nem concretam siue continuam: tum etiam de impensis  
in rem alienam factis.*

QVAM

A. C. E. D. C.

S V B

PATROCINIO

## ERVDITIONE

ET DOCTRINA VIRI CLARISSIMI  
MI D. HENRICI BOCERI SALCATENI,  
Jurisconsultissimi, Doctoris & Professoris in incluta Tubingen-  
sium Scholâ solertissimi, Præceptoris sui deuotè  
colendi,

*Τυμνασίαις ἑνεκα, tempore, hora, locoq; solitis pro viribus*  
defendendam suscipiet

IODOCVS COLB, SPIRENSIS.



T V B I N G Æ,

Typis Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

1





PHILOSOPHIA

DE MATHESIBUS

DOMINUM PER ACCURSIUM

scripsit

QUAM

AL. G. E. D. C.

1712

SATROGINDO

FRVDITIO

ET DOCTRINA VIRI CLARISSIMI

MR. HENRICI BOCKII

Magistri et Professoris in Iuris Tubingen-

siis Scholae solentium Praeceptoris in honore

edita

Imprimatur

Imprimatur

IOHANNES COELEN



Typis

Georgii

1712





200

1.

# Disputatio V.

## DE MODO ADQUIREN-

DI DOMINIUM PER ACCESSIONEM  
CONCRETAM SIVE CONTI-

nuam: tum etiam de impensis in rem alienam  
factis.

### T H E S I S I.

**D**E ACCESSIONE DISCRETA HACTENUS: SEQUITUR de concreta siue continua accessione. Concreta accessio est, qua res vna rei alteri ita accedit, vt vel ambæ vnun corpus fiant, vel vna alteri cohæreat. Vnde (a) hæc accessio est vel connexi, vel vniti.

a) *l. rerum. 30. ff. de vsurp. & vsur.*

#### II.

Accessio connexi est, quæ ex contingentibus, id est, pluribus inter se cohærentibus constat. (a) Estque triplex, aut enim est soli, aut rei solo cohærentis, aut mobilis rei.

a) *d. l. rerum. 30. ff. d. r.*

#### III.

Accessio concreta soli est, qua solum solo accedit; eaque fit vel alluione, vel aluei mutatione.

#### IIII.

Alluio est incrementum latens, quo ita paulatim aliquid solo nostro adijcitur per fluuium, vt intelligi non possit, quantum quoquo temporis momento, siue atomo adijciatur.

*§. Præterea quod per alluionem. Inst. de rer. diu. & l. adeo. 7. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.*

#### V.

Alluionis autem ius in dominij acquisitione consistens, in agris limitatis, vt quæ certa mensura continentur, locum non habet. (a) In non limitatis agris habet locum. (b)

a) *l. in agris. 16. ff. de acquir. rer. dom.* (b) *§. præterea. Vbi Cuiac. in notis. Inst. eod. Idem Cuiac. lib. 2. obs. 9.*



CLASSIS IIII.

VI.

Quòd autem non alluuiò, sed vis fluminis de tuo prædio adiecit meo, id tuum manet, vt & arbores simul translata: nisi ea terra coaluerit, & vnitatem cum mea terra fecerit, vel ipsæ etiam arbores in meum fundum radices egerint.

*§. quòd si vis fluminis. Inst. de rer. diu. & d. l. adeo. 7. §. quòd si vis. & l. sed si ex meis. 26. §. arbor. ff. de acquir. rer. dom. l. hoc ampliùs. 9. §. de his. & §. seq. ff. de dam. infect.*

VII.

Similiter ius alluuiònis locum non habet in lacubus, & stagnis. Nam licet interdum crescant & decrescant, (a) suos tamen terminos retinent. (b)

a) *l. Vicinus. 24. §. vlt. ff. de aqua & aq. pluu. (b) l. lacus. 12. ff. de acquir. rer. dom.*

VIII.

Mutatione aluei acquiritur dominium, si flumen alueum suum vniuersum relinquat, & ad aliam partem fluat. Relictus enim alueus ille acquiritur ijs, qui prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque prædij. (a) Modo tamen longiori tempore alueum illum flumen occupatum tenuit. (b)

a) *§. quòd si naturali. Inst. de rer. diu. d. l. adeo. 7. §. quòd si toto. ff. de acquir. rer. dom. & l. 1. §. simili modo. ff. de flumin. (b) arg. §. quòd si vis fluminis. vers. planè. ibi, si longiori tempore. Inst. de rer. diuis. & facit l. naturaliter. 5. ff. de vsucap.*

IX.

Nouus alueus, quem breui tempore tenuit flumen, si deseratur ab ipso flumine, quod vel ad priorem redit alueum, vel ad aliam partem fluere cœpit, licet quidem stricta ratione eorum esse videatur, qui prope ripam eius prædia possident, (a) iure tamen benigniore domino priori restituitur, (b) nisi flumen minutatim recesserit, & alluuiòne in antiquum locum redierit. Tunc enim iure alluuiònis eius fit nouus ille alueus, qui prope ripam eius prædium possidet. (c)

a) *§. quòd si post aliquot. Inst. de rer. diuis. l. cum vsusfructum. 24. in princip. vers. nam si alueo. ibi, neq; in pristinum statum restitui posse. ff. quib. mod. vsusfr. am. & d. l. adeo. 7. §. quòd si toto. vers. quòd si post aliquot. ibi, stricta ratione. ff. de acquir. rer. dom. (b) d. l. adeo. 7. in fin. ibi, sed vix est vt id obtineat. & ibi gl. ff. d. r. gl. ad d. l. cum vsusfr. 19. in Verb. restitui posse. ff. quem. vsusfr. am. (c) l. Attius. 38. ff. de*

bono



*ff. de acquir. rer. dom. Idq̄, Pomponius etiam significat. in l. ergo. 30. §. alluuiō. ff. d. t. his verb. alluuiō agrum restituit, quem impetus fluminis totum abstulit.*

## X.

Inundatio autem, cum fundi speciem non mutet, nec dominium mutat, sed fundus, cum aqua recesserit eius manet, cuius antea fuit.

*d. l. adeo. 7. §. aliud sanè. & d. l. ergo. 30. §. alluuiō. vers. itaq̄, ager. ff. de acquir. rer. dom. & §. alia sanè causa. Inst. de rer. diu. obstare videtur l. si ager. 23. ff. quemad. vsus fr. am.*

## XI.

Succedit accessio rei solo cohærentis; vt quæ solo iuncta, vel infixata est. Atque hæc accessio vel ædificium est, vel planta, vel satum,

## XII.

De ædificio hæc regula tenenda est: omne quod solo ædificatur, solo cedit, id est, ad eum pertinet, cuius est solum; (a) neque refert materia illa sit lignum, saxum, cæmentum; (b) siue in solo tuo ex materia mea ego ædificem. (c)

a) *d. l. adeo. 7. §. cum in suo loco, & §. ex diuerso. ff. de acquir. rer. dom. §. cum in suo solo. Inst. de rer. diuis. l. qui domum. 30. ff. ad L. Aquil. l. 2. C. de rei vind. l. solum. 49. in pr. ff. d. t. l. qui res suas. 98. §. vlt. ff. de solut. (b) l. redemptores. 39. in pr. ff. de rei vind. (c) d. §. cum in suo solo. Inst. de rer. diu. & d. l. adeo. 7. §. cum in suo loco. & §. ex diuerso. ff. de acquir. rer. dom.*

## XIII.

Quod etiam ædificio iungitur, eius est, ad quem ædificium pertinet: vt si vicinus aliquid ex sua materia ædibus vicini imponat, (a) vel habitator in aliena ædificia fenestras, & ostia imponat. (b)

a) *l. 2. in pr. C. de rei vind. (b) l. habitator. 59. ff. d. t.*

## XIIII.

Tamdiu autem quod iunctum est solo vel ædibus alienis, manet domini illius soli vel ædium, quandiu est connexum; diruto autem ædificio, potest materia dominus eam vindicare, si eius precium non acceperit.

*l. in rem. 23. §. item quæcunq̄, & d. l. habitator. 59. vers. nam quæ alienis. ff. de rei vindic. §. cum suo solo. vers. nec tamen ideo. & §. quod si aliqua. Inst. de rer. diuis. & d. l. adeo. 7. §. cum in suo loco, vers. nec tamen. ff. de acquir. rer. dom.*

## XV.

Et licet per longum tempus mea materia tuo ædificio iuncta ma-



neat, iure tamen vsucapionis, aut præscriptionis tua perfectè non efficitur, vt nec alterius possessoris.

*d. l. in rem. 23. §. vlt. ff. de Rei Vind. & d. l. adeò. 7. §. illud rectè queritur. ff. de acquir. rer. dom.*

## XVI.

Etsi verò dominus materiæ eam, quamdiu ædibus alienis iuncta est, vindicare non possit, actione tamen de tigno iuncto eius duplum ab ædium domino petere potest, siue bonæ siue malæ fidei ædificator fuerit.

*l. adeò. 7. §. cum in suo. vers. nec tamen. ff. de acquir. rer. dom. §. cum in suo. Inst. de rer. diu. l. in rem. 23. §. tignum. ff. de R. V. & l. gemma. 6. ff. ad exhib. Ob stare videtur quo ad bonæ fidei ædificatorem l. de eo. 63. ff. de donat. int. vir. & vxor. & l. qui res. 98. in fin. ff. de solut.*

## XVII.

Vnde nobis erroneum (a) videtur, quòd quidam (b) distinguendum hîc putant inter furtiuum & non furtiuum tignum; vt illius tantum nomine actio de tigno iuncto in duplum competat, non etiam huius nomine.

a) *Per textus confirmandæ thesi præcedenti adscriptos, qui generales sunt, nec distinguunt inter furtiuum & non furtiuum tignum. (b) Cuiac. in Parat. ff. de tig. iuncto. & 23. obs. 19. & post alios Gædd. ad l. tigni. 62. n. 8. ff. de V. S. quibus tamen patrocinari putatur textus in l. 1. & tot. tit. ff. de tig. iunct. & d. l. de eo. 63. in fin. ff. de don. int. vir. & vx.*

## XVIII.

Qui mala fide alienum tignum ædibus suis iunxit, etiam ad exhibendum actione tenetur.

*d. l. adeò. §. cum in suo. ff. de acquir. rer. dom. §. quòd si aliqua. Inst. de rer. diu. d. l. in rem. 23. §. tignum. ff. de rei vind. l. 1. §. vlt. ff. de tig. iunct.*

## XIX.

Est & illa satis anceps quæstio, sit ne liberum ei qui ex aliena materia in suo ædificauit solo, si euitare velit actionem de tigno iuncto in duplum, eximere ædibus suis tignum alienum, eiusq; domino illud reddere? nos affirmantem sententiam veram iudicamus.

*Per text. in d. l. habitator. 59. ff. de R. V. cui adde argumenta Donelli lib. 4. com. cap. 33. pag. 311. & seq.*

## XX.

De acquisitione plantæ talis regula notanda: Planta in solo alterius

rius



rius posita, eius est, cuius est solum, modò coaluerit, & in id radices egerit; quod factum intelligimus, si post id tempus, quo emori poterat, uiuat & vegetetur.

*d. l. adeò. 7. §. si alienum. l. sed si ex meis. 26. §. arbor. ff. de acquir. rer. dom. leg. idem Pomponius. 5. §. de arbore. ff. de R. V. & §. si Titius alienam. Inst. de rer. diuis.*

## XXI.

Quòd si arbor in confinio, siue prope confinium posita sit, & in vtriusq; vicini siue confinis fundum radices egerit, communis est inter eos.

*d. §. si Titius alienam. vers. & ideò. Inst. d. t. & d. l. adeò. 7. §. fin. & l. seq. ff. de acquir. rer. dom. & l. vlt. ff. quòd vi aut clam.*

## XXII.

Si non sit posita in confinio arbor, eius est in cuius fundo origo illius fuerit: (a) nisi omnes radices in vicini fundum egerit, & ex eo alatur, hoc enim casu propria est eius partis, in qua alitur, non in qua oritur. (b)

a) *l. si plures. 6. ff. arbor. furtim cas. (b) d. l. vlt. ff. quòd vi aut clam. Cuiac. in not. ad §. si Titius alienam. in verb. prope confinium. Inst. de rer. diuis.*

## XXXIII.

Et licet arbor quæ coaluit, & vnitatem cum terra aliena fecit, rursus eruta sit, ad priorem tamen dominum non reuertitur.

*d. l. sed si ex meis. 26. §. arbor. ff. de acquir. rer. dom.*

## XXXIV.

Aduersus eum tamen, qui alienam plantam in suo solo posuit, datur domino priori in factum actio, nempe utilis actio legis Aquiliæ, (a) tum etiam, vt arbitramur, condictio sine causa. (b)

a) *d. l. in rem. 23. §. item quæcunq; vbi. Gl. ff. de R. V. l. 3. §. pen. ff. ad exhib. iuncto §. vlt. Inst. de L. Aquil. l. quia actionum. 11. & l. qui seruandarum. 14. §. pen. ff. de præscr. verb. (b) l. 1. §. vlt. ff. de condict. sine causa.*

## XXXV.

Vindicatio (a) autem, ne utilis (b) quidem, contra dominum soli non datur.

a) *l. hoc amplius 9. §. Alfenus. ff. de dam. inf. (b) Est enim hæc eiusdem potestatis cum directa. l. actio 47. in pr. ff. de neg. gest. Ob stare videtur l. idem Pomponius. 5. §. de arbore. ff. de Rei Vind. de qua antinomia Bulg. Ioan. Accurs. Br. & alij ibid. Donel. 4. comment. c. 27. pag. 297. & c. 34. pag. 316.*

De



## XXVI.

De SATORVM acquisitione hæc regula tenenda erit: Cuius est fundus, eius quoque sunt fata, ex alieno etiam semine nata, non illius cuius fuit semen alienum. (a) In satis enim magis corporis ius, ex quo percipiuntur, quam feminis, ex quo oriuntur, spectatur. (b)

a) §. *quaratione autem plantæ*. Inst. de rer. diu. l. *quaratione*. 9. in princ. de acquir. rer. dom. (b) l. *qui scit*. 25. §. 1. ff. de vsur.

## XXVII.

SEQVITVR de accessione connexi in re mobili; cuius species sunt textura, scriptura, tabula picta, & particula perfecti.

## XXVIII.

De textura talis habenda est regula: Quod rei principali in textum est, id licet preciosius sit, accessionis tamen vice rei ipsi principali cedit, atque eius est, ad quem pertinet principale. Vnde si alienam purpuram vestimento suo intexuerit, licet preciosior sit purpura, accessionis tamen vice cedit vestimento.

l. *sed si ex meis*. 26. §. vlt. ff. de acquir. rer. dom. & §. *si tamen alienam*. Inst. de rer. diu.

## XXIX.

Dominus tamen purpuræ in factum actione experiri potest aduersus eum, qui suo fundamento ipsam intexuit. (a) Qui si eam furtim surripuerit, etiam furti actione, & conductione furtiua tenetur. (b)

a) l. *in rem*. 23. §. *item quæcumq;* vers. *ideoq;* in omnibus ff. de R. V. & l. 3. §. *interdum*. ff. ad exhib. (b) d. §. *si tamen alienam*. Inst. de rer. diuis.

## XXX.

De scripturæ acquisitione hæc obseruanda est regula: Eius est scriptura, cuius est charta siue membrana, quamuis hæc preciosior sit illa. Necessè enim est, vt rei cedat, quod sine ea esse non potest.

§. *literæ quoque*. Inst. de rer. diu. l. *quaratione*. 9. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 3. §. *interdum*. ff. ad exhib. Caius lib. 2. Inst. tit. 1. & facit l. *in rem*. 23. §. *sed & id*. ff. de Rei vindic.

## XXXI.

In tabula picta hanc sequimur regulam: Tabula picta cedit picturæ. (a) Plerunque enim plus est in manus precio, id est, artificio, quam in re ipsa. (b)

a) §. *si quis in aliena*. Inst. de rer. diuis. l. *quaratione*. 9. §. *sed non vti licere*. ff. de acquir. rer. dom. obstat d. l. *in rem*. 23. §. *sed & id*. ff. de R. V. (b) l. *mulieris*. 13. ff. de V. S. & dict. §. *si quis in aliena*. Inst. de rer. diuis. Vnde



## DISPUTATIO V.

## XXXII.

Vnde si dominus tabulæ qui fuit, eam possideat, pictor ipsam vindicatione directa petere potest: si pictor possideat eam, dominus tabulæ utili rei vindicatione exigit eam. Et eatenus possessor restituere vindicanti tabulam pictam tenetur, quatenus vel precium tabulæ, vel impensam picturæ non soluat.

*§. si quis in aliena. Inst. de rer. diu. & d.l. quæ ratione. 9. §. sed non. ff. de acquir. rer. dom.*

## XXXIII.

Quòd si tertius quispiam possideat tabulam, vter in vindicanda tabula præfertur, pictor, an dominus tabulæ? Accursius & alij eum secuti (a) pictorem præferunt. Donellus (b) vtrunq; ad agendum admittit, sed meliorem esse occupantis conditionem, vt qui prior ad sententiam peruenit, autumat. (c)

a) *ad d.l. quæ ratione. 9. §. sed non vti. ff. d. t.* (b) *lib. 4. comment. c. 36. pag. 320.* (c) *per l. 3. ff. quòd cum eo, qui in al. pot. l. is, à quo. 57. ff. de rei vindic. l. pen. ff. de pet. hered. l. si pariter. 9. ff. de lib. causa. l. si quis seruum. 8. §. certam. ff. de leg. 2.*

## XXXIV.

Particula perfecti (a) est accessio, qua rei principali perficiendæ vel absoluendo, vel reficiendo eam, ex materia aliena quid connectitur; vt si absq; ferruminatione statuæ meæ ex aliena materia pes, vel brachium adijciatur, aut scypho fundus, vel ansa; aut candelabro sigillum; aut lecto fulcrum; aut naui tabula. (b)

a) *Hoc loquendi modo vtitur Cic. lib. 2. de nat. Deor.* (b) *l. sed si meis. 26. §. 1. & l. seq. in pr. ff. de acquir. rer. dom. l. tigni appellatione. 7. §. idem & si armario. ff. ad exhib. l. in rem. 23. §. 2. si quis rei suæ. ff. de R. V. l. cum aurum. 19. §. perueniamus. & §§. seqq. ff. de auro & arg. leg.*

## XXXV.

Quòd si duæ eiusdem vel diuersi generis partes per plumbaturam, id est, dissimilem aliquam materiam iungantur, ea accessio huius quoque speciei est.

*Per l. in rem. 23. §. item quacumq;. vers. plumbatura. ff. de R. V.*

## XXXVI.

De hac autem accessione tres notandæ sunt regulæ. Prima hæc est: Quæ pars quantitate corporis minor est, ea licet sit preciosior, cedit tamen parti maiori tanquam principali, & ad huius dominium pertinet; veluti si quis statuæ suæ brachium, aut pedem alienum adiecerit

m aut



8

CLASSIS IIII.

aut scypho ansam, vel fundum, vel candelabro sigillum, aut mensæ pedem, vel lecto fulcrum, aut naui tabulam, (a) vel si gemma aut margarita auro aut argento, vel coronæ inclusa sit. (b)

a) *d.l. in rem. 23. §. si quis rei. 2. ff. de rei vind. d.l. sed si meis. 26. §. 1. ff. de acquir. rer. dom.* (b) *l. cum aurum. 19. §. perueniamus. & §. seq. ff. de auro & arg. leg.*

XXXVII.

Altera regula hæc est: cum ambæ partes connexæ quantitate corporis pares sunt, tunc pars ea, quæ precio minor est, cedit alteri preciosiori tanquam principali.

*l. quicquid. 27. §. cum partes. ibi, vel pro precio cuiusq; partis. ff. de acquir. rer. dom.*

XXXVIII.

Vnde si statuæ meæ aureæ pro parte dimidia iungatur aliena portio inaurata; vel mensæ meæ marmoreæ pro dimidia parte addatur aliena portio lapidea, aliena isthæc portio precio minor mea efficitur. Mea enim res per præualentiam rem trahit alienam, & meam efficit.

*d.l. in rem. 23. §. in omnib. ff. de R. V.*

XXXIX.

Tertia regula est: Cum utræq; partes & magnitudine corporis, & precio pares sunt, tunc neutra alteri cedit, sed sua cuiusq; res manet.

*d.l. quicquid. 27. §. cum partes. vers. sed si neutra. ff. de acquir. rer. dom.*

XL.

Hac accessione qui rem suam amisit, aduersus eum, cuius dominio ea accessit, ad exhibendum actione experiri potest, vt separatio eius rei fiat, & separata vindicari possit.

*l. gemma. 6. ff. ad exhib. & d.l. in rem. 23. §. item quæcunq;. ff. de R. V.*

XLI.

HACTENVS de concreta accessione connexi, dispiciendum modo de concreta accessione vniti. Concreta accessio vniti est, cum ex alia atq; alia diuersorum dominorum re conficitur corpus, quod vno spiritu continetur. (a) Veluti si statuæ meæ brachium tuæ statuæ per ferruminationem addatur, (b) vel si duorum dominorum vina confundantur, aut massæ argenti vel auri conflentur. (c)

a) *l. rerum mixtura. 30. in prin. ff. de vsurp. & vsucap.* (b) *d.l. in rem. 23. §. item quæcunq;. vers. scilicet excepto eo. & vers. quod non idem. ff. de R. V.* (c) *d. l. adeo. 7. §. voluntas. 8. ff. de acquir. rer. dom. & §. si duorum materia. Instit. de rer. diu.*

Huius



## XLII.

Huius species tres sunt: accessio confusionis, accessio ferruminationis, & accessio specificationis.

## XLIII.

ACCESSIO confusionis est, cum res unius domini ad rem alterius domini ita accedit, ut corpus etiam minimum penetret, & inducat aliud corpus etiam minimum. Veluti si qui vina sua confuderint, aut massas argenti, vel auri conflauerint, aut ex vino & melle mulsum fiat, aut ex auro & argento electrum.

*§. Si duorum materiae. Vbi Ang. Inst. de rer. diuis. d. l. adeo. 7. §. voluntas. ff. de acquir. rer. dom. Quod attinet confusionem vini & mellis, item confusionem auri & argenti, videtur haec confusio ad specificationem pertinere, per tex. in §. quod si partim. Inst. de rer. diuis.*

## XLIIII.

De hoc accessionis genere duae notandae sunt regulae. Prior haec est: Rebus diuersorum dominorum vel consensu ipsorum, (a) vel casu, vel alterutrius (b) tantum voluntate malae (c) vel bonae fidei, confusis, totum id corpus, quod ex ea confusione existit, ipsorum dominorum pro portione cuiusque partis rata, commune est, siue eiusdem, siue diuersi generis res confusae fuerint.

a) *d. §. si duorum materiae. Inst. de rer. diu. & d. l. adeo. 7. §. voluntas. ff. de acquir. rer. dom.* (b) *Modò tamen, quando casu, vel alterutrius tantum voluntate res diuersae confusae sunt, ab artificibus deduci inuicem & separari nequeant. l. lacus. 12. §. 1. ff. d. t. l. idem Pomponius. 5. §. 1. vers. sed si plumbum. ff. de R. V.* (c) *De eo, qui mala fide rem alienam cum sua confudit, ex qua etiam confusione rerum communio inducitur, textus est, in l. 4. iuncto §. ult. l. preced. ff. de Rei Vind. & sentit idem de hac confusione Donel. 4. comment. cap. 12. pag. 250. circa fin.*

## XLV.

Alter regula haec est: Si diuersi generis res vel casu, vel studio, bona vel mala fide confusae, ab artificibus separari possint, puta vi Chrysulcae, non erit commune corpus, sed sua cuiusque res manet, (a) eaque separata (quae separatio ad exhibendum actione petitur) vindicari potest. (b)

a) *d. l. lacus. 12. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. d. l. idem Pomp. §. 1. ff. de R. V.* (b) *d. l. 5. §. 1. & l. in rem. 23. §. item quaecumque. ff. de acquir. rer. dom.*

## XLVI.

ACCESSIO ferruminationis est, cum diuersorum dominorum metalla eiusdem generis, formata vel non formata, per eandem mate-

m 2

riam



riam in vnum corpus solida iunguntur; veluti si ferrum vnum candens cum alio ferro candente contundatur; vel statuae aereae brachium aereum per eandem materiam iungatur; aut scypho argenteo anfa argentea per argentum addatur.

*d. l. in rem actio. 23. §. item quaecunq; vers. scilicet excepto eo. & vers. quod non idem. ff. de rei vind. & d. l. quicquid. 27. in princ. vers. at contra. ff. de adquir. rer. dom.*

## XLVII.

In hac accessione, ea pars, quae corpore minor est, licet preciosior, cedit tamen alteri parti maiori. (a) Si ambae sint corpore pares, vna tamen preciosior altera, tunc ea quae est preciosior, trahit ad se partem alteram. (b) Quod si vtraque partes & corpore & precio sint pares, tunc neutra alteri cedit, sed sua cuiusque res manet. (c)

a) *d. l. in rem. 23. §. item quaecunq; vers. scilicet excepto eo. & vers. quod non idem. ff. de R. V.* (b) *l. quicquid. 27. §. cum partes. ibi, vel pro precio cuiusque partis. ff. de adquir. rer. dom. iuncta d. l. in rem. 23. §. in omnibus. ibi, meae res, per praevaleantiam alienam rem trahit, meamque efficit. ff. de R. V.* (c) *d. l. quicquid. 27. §. cum partes. vers. sed si neutra. ff. de adquir. rer. dom.*

## XLVIII.

Quamvis autem res, hoc accessionis genere aliena facta, postea à parte principali separetur, attamen non desinit esse illius, cuius facta fuit.

*d. l. in rem. 23. §. item quaecunq; vers. scilicet excepto. ff. de R. V.*

## XLIX.

RELIQVVM est, vt de accessione specificationis videamus. Est autem accessio specificationis ipsa nova species, ex aliena materia à non domino conformata: Veluti si quis ex alienis vis aut oliuis, vinum aut oleum sibi expresserit, vel ex alieno auro aut argento aut aere vas aliquod fecerit, vel ex alieno vino & melle mulsum, vel ex medicamentis alienis emplastrum, aut collyrium composuerit, vel ex aliena lana vestimentum fecerit, vel ex alienis tabulis nauem, vel armarium, vel subsellia fabricauerit, vel ex alieno lacte butyrum, aut caseum fecerit.

*§. cum ex aliena. Inst. de rer. diu. & l. adeo. 7. §. cum quis ex aliena. ff. de adquir. rer. dom.*

## L.

In hac specificationis accessione sequentes obseruandae sunt regulae:



gulæ: I. Si noua species ad priorem & rudem materiam reduci potest, veluti si ex alieno ære, vel argento alieno, vel ex auro alieno aliquis vas quoddam conflauerit, vel ex alienis tabulis fecerit nauim, tunc is videtur speciei dominus esse, qui materiæ dominus fuit. II. Si species facta non potest ad priorem & rudem materiã reduci: veluti si ex vuis alienis vinum, vel ex alienis oliuis oleum quis expresserit, vel ex vino & melle alieno mulsum fecerit, aut ex arboribus alienis nauem, tunc is potius intelligitur dominus, qui fecit speciem. (a) III. Quod si quis partim ex sua, partim ex aliena materia speciem aliquam fecerit, veluti ex suo & alieno vino, item ex suo & alieno melle mulsum miscuerit, vel ex suis & alienis medicamentis emplastrum aut collyrium, vel ex sua & aliena lana vestimentum fecerit, tunc is dominus est, qui fecit, cum non solum operam dederit, sed & partem eiusdem materiæ præstiterit. (b)

a) §. cum ex aliena. vers. & post multam. & vers. seq. Inst. de rer. diuis. Vbi vide Hottomanni aliud de hac accessione iudicium. & d. l. adeo. 7. §. cum quis ex aliena. vers. vt ecce Vas. ff. de acquir. rer. dom. & l. Minicius. 61. vers. sed si in edificanda. ff. de R. V. Quæ enim talis naturæ sunt, vt sæpius in sua redigi possint initia, eã materiæ potentiã victa, nunquam vires eius effugiunt. l. quesitum. 78. §. illud fortasse. vers. quippe ea. ff. de leg. 3. Sed quod de naue ex alienis tabulis facta dixi, falsum videtur ex l. sed si meis. 26. in pr. ff. de acquir. rer. dom. Cuiac. in notis ad Instit. dict. §. cum ex aliena. existimat in d. l. Minicius, ex stare vestigium Sabiniorum; quæ conciliandi ratio nobis non placet. Vide de eadem lege Petr. Fabr lib. 6. coniect. cap. 15.

(b) d. §. quod si partim. Inst. de rer. diuis. & l. idem Pomponius. 5. §. 1. ff. de R. V. ind.

## L I.

Mustum tamen ex vuis meis, & oleum ex meis oliuis, item vestimentum ex lana mea, quod quis sciens isthæc aliena esse fecerit, non ipsius sed meum est, scilicet propter eius dolum malum.

l. de eo. 12. §. si quis ex vuis. ff. ad exhib.

## L I I.

Hinc si quis ex mea, & sua materia speciem mala fide formauerit, vtriusq; nostrum communis est species illa, non illius tantum propria.

l. 3. §. vlt. iunct. l. 4. de R. V. Donel. 4. comm. c. 12. pag. 250. circa fin.

## L I I I.

Fruentum ex alienis spicis excussum, eius est, cuius spicæ fuerunt, non illius qui excussit, quippe cum non nouam fecerit speciem, sed eam, quæ est, detegerit.



*l. adeo. 7. §. cum quis. vers. videndum. ff. de acquir. rer. dom. Sic is qui lanam meam fecit purpuram, nouam non format speciem, sed alium saltem colorem ei inducit. d. l. sed si meis. 26. §. vlt. ff. d. t. At thesi huic nostrae de frumento obstare videtur text. in d. §. quū ex aliena. vers. vt ecce, ibi, vel spicas reuerti non potest. Inst. de rer. diu.*

## LIII.

Quod si quis æream, argenteam, vel auream speciem quandam meam, veluti poculum, vel quod aliud vas meum conflauerit, atque ex ea materia nouam sibi conformauerit speciem, ea non ipsius, sed mea erit, licet ad pristinam speciem reuerti non possit. Idem quoque dicimus de vestimento nostro, quod quis dissoluit, & ex panno illo sibi aliam fecit vestem; tum etiam de ligneo vase nostro, quod aliquis dissoluit, & ex eius materia minus aliquod vas sibi formauit.

*l. in omnib. 24. ff. de acquir. rer. dom. Vbi negatio NON retinenda est.*

## LV.

Qui item ex aliena materia volente domino speciem aliquam formauit, licet ea species ad priorem materiam reduci non possit, attamen eius est, cuius materia fuit.

*l. nisi voluntate. 25. ff. d. t.*

## LVI.

CVM CIRCA accessionis ius, quo etiam rerum dominia adquirentur, de impensis quoque incidere quaestio soleat, de harum etiam iure nunc breuiter agemus.

## LVII.

Impensa est sumptus in rem aliquam factus. (a) Eodemque sensu impendium dicitur. (b)

a) *tot. tit. ff. de impens. in res dot. fact.* (b) *l. in hoc. 14. §. 1. ff. com. diu.*

## LVIII.

Appellatione autem impensae continetur non solum operarum merces, sed & precium materiae.

*l. si in area. 33. ff. de cond. ind. & l. in fundo. 38. ff. de R. V. Molin. ad cons. Paris. p. 1. §. 1. gl. 5. n. 86. Ioan. Garzias tract. de impens. c. 1. n. 14.*

## LIX.

Cæterum circa impensam duplex inspectio incurrit: Vna de eius speciebus; altera de iuris remedio, quo quis impensam, quam in rem alienam, fecit seruare potest.

## LX.

Species impensae tres sunt: impensae necessariae, impensae vtilis, & impensae voluptuariae: *l. im-*



*l. impensa necessaria. 79. ff. de V. S. l. vtilis. 39. ff. de pet. her. l. 1. & ll. seqq. ff. de imp. in res dot.*

## LXI.

Necessarias impensas Vlp. IC. definit, quæ in se necessitatem impendendi habent; (a) Sed Paulo definitore hæ impensæ sunt, quæ nisi factæ fuerint, aut res peritura, aut deterior futura sit. (b)

a) *d. l. 1. §. 1. ff. d. t.* (b) *d. l. impensa. 79. in pr. vbi Gædd. ff. de V. S.*

## LXII.

Sunt ergo & illæ necessariae impensæ, quæ fructuum quærendorum, colligendorumque causâ fiunt: (a) Et quæ fiunt reficiendorum ædificiorum gratiâ, aut in nouelletâ, aut cum seruorum gratiâ, litis æstimatione soluitur, cum id vtilius sit, quàm ipsos dedi. (b)

a) *l. vlt. ff. de imp. in res dot. l. si à Domino. 36. in fine, & l. seq. ff. de pet. her. Donel. lib. 20. comment. c. 7. pag. 429.* (b) *l. vtilis. 39. in pr. ff. d. t. l. 1. §. vlt. ff. de imp. in rem. dot.*

## LXIII.

Sunt item impensæ necessariae, moles in mare, aut flumen proiecta; pistrinum vel horreum necessariò factum; ædificij ruinam minantis refectio; oliueti reiecti restauratio; tum etiam si quis ex stipulatione damni infecti, ne committatur, præstiterit: (a) Vel in valetudinem seruorum impenderit; (b) vel si vites propagauerit; vel arbores curauerit; vel seminaria pro vtilitate agrifecerit. (c)

a) *l. 1. §. vlt. de impens. in rem dot.* (b) *l. 2. d. t.* (c) *l. 3. ead.*

## LXIII.

Est & illud hîc notandum, quòd necessariae impensæ dicuntur etiam vtilis impensæ, eò quod vtile est domino rem eius his impensis seruari.

*d. l. vtilis autem. 39. Vbi gl. ff. de pet. her.*

## LXV.

Vtilis impensæ, ita propriè dictæ, sunt, quibus res, in quam citra necessitatem factæ sunt, melior & vtilior reddita est.

*d. l. impensa. 79. §. 1. ff. de V. S. l. 5. §. fin. ff. de imp. in res dot. Donel. lib. 20. comment. c. 7. pag. 432.*

## LXVI.

Huiusmodi impensæ sunt ædificatio in solo alieno facta, arbusi pastinatio ultra quàm necesse fuit, doctrina puerorum, pistrinum, & horreum insulæ adiectum.

*d. t. impensa. 79. §. vtilis. & §. in his. ff. de V. S.*

Volu-



## LXVII.

Voluptuariæ impensæ sunt, quæ citra necessitatem, & utilitatem, ad solam voluptatem factæ sunt, vt sunt quæ rem exornant, veluti viridaria, aquæ salientes, incrustationes, loricationes, picturæ.

*d.l. impensæ. 79. §. vlt. vbi Gædd. ff. d. t. l. voluptuaria. 7. ff. de imp. in res dot. fact.*

## LXVIII.

Iuris remedia, quibus seruantur impensæ in rem alienam factæ, alia comparata sunt, si is qui impendit, rem adhuc detineat, alia item, si ipse dominus rem possideat.

## LXIX.

Priori casu, si petat rem suam dominus, seruare possessor impensas suas potest, vel retentione rei per exceptionem doli, vel implorato iudicis officio, vel deductione operis facti.

## LXX.

Retentione rei per exceptionem doli seruantur impensæ, si is, qui impendit conuentus in rem actione, opponat exceptionem doli mali, rogans iudicem pronunciari, licere sibi rem, quæ petitur, retinere, donec impensæ in eam factæ refundantur.

*l. si in area. 33. in fin. ff. de cond. ind. l. Paulus. 14. ff. de excep. dol. mal. l. in hoc iudicium. 14. §. 1. ff. com. diu.*

## LXXI.

Hoc iuris remedio seruari possunt primò impensæ necessariae, siue bonæ fidei possessor eas fecerit, (a) siue fecerit eas malæ fidei possessor; (b) modò tamen neque vi, neque furto possessionem rei alienæ adeptus fuerit. (c)

a) *d.l. in hoc iudicium. 14. §. 1. ff. com. diu. l. sumptus. 48. ff. de R. V.* (b) *l. si à domino. 36. §. vlt. & l. planè. 38. ff. de pet. her. l. domum. 5. C. de R. V.* (c) *l. 1. C. de infantib. expos.*

## LXXII.

In hoc tamen differentia est inter bonæ & malæ fidei possessorem, quòd in iudicio vniuersarum rerum bonæ fidei possessor impensas suas necessarias seruat, licet res non extet, in quam fecit: Prædo autem non aliter, quàm si res extet, in quam facti sunt.

*l. planè. 38. vers. vlt. ff. de petit. hered.*

## LXXIII.

Vtiles autem impensas hoc iuris remedio seruare potest bonæ fidei possessor, vt qui bona fide in solo alieno ex sua materia domum extruxit,

truxit,



truxit, (a) aut alio modo in rem alienam quid utiliter bona fide impendit. (b)

a) *d.l. si in area. 33. ff. de cond. ind. d. l. Paulus. 14. ff. de except. dol. l. sin. autem. 27. § vlt. ff. de R.V. (b) d.l. sumptus. 48. ff. de R.V. l. qui sciens. 11. C. d. t. d.l. in hoc iudicium. 14. §. 1. ff. com. diuid. & d. l. 1. C. de infant. expos.*

## LXXIII.

Malæ fidei possessor vtiles impensas seruare non potest retinendo rem per exceptionem doli.

*§. certè illud. vers. nam scienti. Inst. de rer. diuis. l. adeò. 7. §. ex diuerso. ff. de acquir. rer. dom. l. domum. 5. C. de R.V. l. Iulianus. 37. ff. d. t. Vide Cuiac. lib. 10. obs. 1. & ad lib. 20. Pauli ad edict. in explic. l. 38. ff. de pet. her. Ant. Fab. 2. coniect. 1. & Donel. lib. 4. comm. c. 33. pag. 315.*

## LXXV.

Voluptuarias quoque impensas bonæ fidei possessor hoc etiam iuris remedio feruat, si dominus pati nolit, vt tollantur, cum separari possunt. Prædo autem, siue malæ fidei possessor has impensas hoc iuris remedio non feruat.

*l. pro voluptuarijs. 9. ff. de imp. in res dot. & d. l. vtiles. 29. §. vlt. ff. de pet. her.*

## LXXVI.

Implorato iudicis officio (a) seruantur impensæ in rem alienam factæ, si is, qui sumptus impendit, conuentus in iudicio à Domino rei petat à iudice, (b) vt etiam impensarum rationem habere, & ad eas refundendas actorem condemnare velit.

a) *Hoc iuris remedium aliud est ab exceptione doli. d. l. planè. 38. ibi, & id ipsum officio iudicis continebitur; nam nec exceptio doli desideratur. ff. de pet. her. l. bona fide. 11. ibi, doli exceptione submouebitur, vel officio Iudicis consequetur. ff. de noxal. act. Cuiac. lib. 10. obs. 1. & ad lib. 21. Pauli ad Edict. in l. 27. §. vlt. ff. de R.V. pag. 324. (b) Iudex suum non nisi imploratus interponit officium. l. Ædiles. 25. §. item sciendum. vers. iudici enim. ff. de edil. edict. V. ves. & alij in §. & si in rem. vers. sed si possessor. Inst. de except. cum factum supplere non possit. l. vn. Vbi Dd. C. vt quæ des. aduocat.*

## LXXVII.

Iudicis autem officio necessarias impensas seruare potest non modo bonæ fidei possessor, (a) sed & possessor malæ fidei. (b)

a) *d. l. sumptus. 48. ff. de R.V. (b) d. l. planè. 38. ff. de pet. her.*

## LXXVIII.

Hic eleganter quæri potest, an is qui certam, puta decimam, vi-

n

cesimam,



cesimam, tricesimã, &c. partem fructuum ex certo fundo collectorum quotannis dare tenetur, impensas horum fructuum causa factas, retentione per doli exceptionem, aut officio iudicis, pro rata deducere possit? Nobis affirmata arridet conclusio.

*Per l. si merces. 25. §. vis maior. ff. locati. Confert huc quod fructus intelliguntur deductis impensis. l. fructus. 7. ff. sol. matr. l. si à domino. 36. §. vlt. ff. de pet. hered. l. quod in fructus. 46. ff. de vsur. l. 1. C. de fruct. & lit. expens. Dissentit Ioan. Copus. tract. de fruct. lib. 1. tit. 1. cap. 6. & Ioan. Garz. tract. de impens. c. 1. n. 22. Qui autem certam fructuum mensuram soluere cogitur, nihil deducit. c. pastoralis. & cap. quod à nobis. ext. de decimis.*

## LXXIX.

Vtiles impensas bonæ fidei quidem possessor vt retentione per exceptionem doli, sic & officio Iudicis rectè seruat: (a) At malæ fidei possessor neq; hoc iuris remedio has impensas seruare potest. (b)

a) *d. l. sumptus. 48. ff. de R. V. l. domum. 5. C. d. t. Nam & doli exceptione bonæ fidei possessor has impensas seruat. d. l. si in area. 33. ff. de pet. her. l. Paulus. 14. ff. de except. doli mali. proindeq; & officio iudicis. d. l. planè. 38. ibi, & id ipsum officio iudicis continebitur; Nam nec exceptio doli mali desideratur. ff. de pet. her. & d. l. bona fide. 11. ibi, doli exceptione summouebitur, vel officio iudicis consequetur, vt indemnus maneat. ff. de noxal. act. (b) d. l. domum. 5. C. de R. V. & d. l. Iulianus. 37. ff. eod. Qua in lege malæ fidei possessori denegatur pro impensis vtilibus exceptio doli mali, vt & in §. certè. Inst. de rer. diu. & l. adeò. 7. §. ex diuerso. ff. de adquir. rer. dom. Quare eidem etiam pro his impensis denegandum est officium iudicis.*

## LXXX.

Similiter voluptuarias impensas bonæ fidei possessor Iudicis officio rectè seruat, at malæ fidei possessor non item.

*d. l. vtiles. 39. §. vlt. ff. de pet. hered.*

## LXXXI.

Deductione operis facti seruantur impensæ, cum is, qui in rem alienam sumptus fecit, saltem opus ipsum factum à re deducit, & auferit, modò sine dispendio, & læsione ipsius rei tolli possit. (a) Atque hoc tantum iuris remedio malæ fidei possessor seruare potest impensas tum vtiles, (b) tum etiam voluptuarias. (c) Proindeq; & bonæ fidei possessor non modò voluptuarias seruare impensas potest hoc iuris remedio, si dominus precium impensarum præstare neget, (d) sed & impensas vtiles, si nolit, aut non possit dominus impendia soluere. (e)

a) *l. Iulianus. 37. & l. seq. ff. de Rei vindicat. l. domum. 5. in fine. C. d. t. & l. vn. §.*



vn. §. taceat. vers. quod si voluptuaria. C. de rei vx. act. Vnde tectorium. i. incrustationem, & perpolationem, item picturas si quis corradere, & abradere velit, cum id ei profuturum non sit, prohiberi merito debet. l. in fundo. 38. ff. de R. V. & d. l. pro voluptuarijs. 9. ff. de imp. in res dot. (b) d. l. Iulianus. 37. ff. de R. V. & d. l. domum. in fin. C. d. t. (c) d. l. vtilis. 39. §. vlt. ff. de pet. her. & l. vn. §. taceat in ea. vers. quod si voluptuaria. C. de rei vxor. act. (d) d. l. pro voluptuarijs. 9. ff. de imp. in res dot. (e) l. sin autem. 27. §. vlt. vers. nisi tamen paratus. & in l. fundo. 38. ff. de R. vindic.

## LXXXII.

Videamus quibus iuris remedijs seruentur impensæ, si dominus rei possessionem iam adeptus sit. Ea autem sunt actiones, quæ pro conditione rei aliæ atq; aliæ non vnius generis sunt. Si enim is, qui impendit, rem, in quam impensum est, ex contracto quodam negotio, à domino nactus, tunc actione eiusdem contractus impensas suas repetere potest: Veluti actione ex conducto, si in rem à domino conductam necessario vel vtiliter quid impenderit; (a) vel contraria depositi actione, si depositarius in rem apud se depositam, necessaria impendia fecerit, (b) vel vtili communi diuidendo actione. (c)

a) l. dominus. 55. §. 1. ff. locati. (b) l. actione depositi. 23. ff. depos. (c) l. in hoc iudicium. 14. §. 1. vers. quæ cum ita sint. ff. comm. diu.

## LXXXIII.

Quod si quisquam sumptum impendat in rem alienam, negocij alieni gerendi causâ, siue sciat, ad quem pertineat res, siue id ignoret, negociorum gestorum actione sumptum illum repetere potest.

d. l. in hoc iudicium. 14. §. 1. vers. at cum puto. ff. com. diu. & toto tit. ff. & C. de neg. gest.

## LXXXIII.

Idem quoq; dicimus, si quis prædandi, id est, sui lucrû tantum causâ, vel etiam à domino postea singulariter prohibitus ad gerenda negocia accesserit, modò dominus inde locupletior factus sit.

l. si pupilli. 6. §. sed etsi. ff. de neg. gest. & l. vlt. C. d. t.

## LXXXV.

Qui in rem restitutioni subiectam, sumptus fecit, si sine impensarum deductione rem restituat, condictione incerti, quasi plus debito dederit, consulere sibi potest.

l. qui exceptionem. 40 §. 1. ff. de cond. ind. l. quod dicitur. 5. §. pen. ff. de imp. in res dot. fact.



## LXXXVI.

Qui verò in rem aliam impensas fecit, eamq; domino non seruatis illis impendijs retentione per doli exceptionem, aut iudicis officium, vel operis deductionem tradidit, ei nullum iuris remedium, quo recuperare impensas possit, comparatum esse dicitur.

*l. si in area. 33. in fin. ibi, nullo alio modo. ff. de cond. ind. l. Paulus. 14. ibi, non aliàs sumptus consequi posse, quàm si possideat. ff. de doli excep. l. in hoc iudicium. 14. §. 1. vers. diuersum est enim. ff. com. diu. l. heres. 21. ibi, qui retentiones, quas solas habent, omittant. ff. ad SC. Trebell. Accurs. tamen ad d. l. planè. ff. de pet. her. & ad l. in fundo. ff. de R. V. & Ioan. Gædd. ad d. l. impense. 79. in pr. n. §. & 9. ff. de V. S. existimant hoc casu impensas vtili negotiorum gestorum actione peti.*

## LXXXVII.

Si quis tamen ex sua materia in solo alieno ædificauerit, aut alienam domum refecerit, diruto ædificio, materiam suam, cuius precium antea nactus non est, vindicare potest, siue bona siue mala fide ædificauerit, aut refecerit domum.

*l. 2 C. de Rei vind. l. habitator 59. ff. d. t.*

## LXXXVIII.

At qui donandi animo ædificium solo alieno imposuit, non vindicat: (a) vt si sciens alienum esse solum in eo ædificauerit, neque tamen id possideat, neq; suum id esse velit. (b)

*a) d. l. 2. in fin. C. d. t. (b) l. adeò. 7. §. ex diuerso. vers. & si scit. ff. de acquir. rer. dom. & §. ex diuerso. Inst. de rer. diuis. Quæ loca Donellus 4. comment. cap. 33. pag. 314. & seq. vt & alij Interpp. pleriq; de possessore mala fidei perperam intelligunt; quippe cum & hic impensas vtilis deductione operis seruare possit. l. Iulianus 37. & l. seq. ff. de rei vind. l. domum. 5. C. d. t.*

## LXXXIX.

Similiter impensas in collectionem fructuum factas intelligitur donare domino fundi, qui eius segetem maturam defecuit, vel maturam oliuam decerpfit, sciens fundum esse alienum, quem tamen non possidet, neq; vt suum sibi adscribit.

*l. si seruus seruuum. 27. §. si oliuam. 25. ff. ad leg. Aquil.*

## FINIS DISPUTATIONIS

## QVINTÆ.



Ka 3071

(3/4)

ULB Halle 3  
003 261 573




sb

Einband. 3/1.











265

# Disputatio V.

*MODO AD QVIRENDI  
DOMINIVM PER ACCESSIO-  
nem concretam siue continuam: tum etiam de impensis  
in rem alienam factis.*

QVAM

A. C. E. D. C.

S V B

PATROCINIO

## V D I T I O N E

STRINA VIRI CLARISSIMI  
HENRICI BOCERI SALCATENI,  
ssissimi, Doctoris & Professoris in incluta Tubingen-  
Scholâ solertissimi, Præceptoris sui deuotè  
colendi,

*oriam exera, tempore, hora, locoq<sub>3</sub> solitis pro viribus*

defendendam suscipiet

DOCVS COLB, SPIRENSIS.



T V B I N G Æ,

pis Georgij Gruppenbachij.

ANNO M. D. XCIX.

1

